



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Axiomatis quarti veritas confirmatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## AXIOMA II.

Omnis historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti  
narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati pro-  
ximis qua res gestæ sunt.

*Axiomatis  
secundi veri-  
tas confirma-  
tur.*  
Joseph. libr. 1.  
contr. Apion.

I. **H**OC Pronuntiatio, & superiore, tota nititur historiæ fides, totius antiquitatis memoria: *ἡ ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς ἔχει τὴν ἀξίαν ἰσότητος, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς ἀναγίνωσκον τὰ αὐτὰ & λέγοντες & γράφοντες.* Veracis enim historiæ indicium est, si de rebus iisdem omnes eadem dicant & scribant: inquit Josephus, cujus verba hæc supra jam attuli. Unde enim virum quemdam bello clarum, cui Cæsari nomen fuit, aliquando vixisse scio? ex Cæsaris nempe ipsius Commentariis, ex Hirtii, Ciceronis, Bruti, Livii, Vellei, Lucani, aliorumque scriptis, qui vel temporum illorum, quibus Cæsar vixit, æquales fuerunt vel supiores. Horum autem scripta genuina esse ex superiore Axiomate ostenditur. Non aliter enim sciri aut credi possunt, quæcunque ipsi oculorum nostrorum testimonio non cognovimus, quam ex aliorum verbis: alioqui mediterraneus Oceanum esse non crederet; nec Americam, aut Indiam esse crederent Amstelodamenses, qui patrio solo numquam excesserunt, & virgula divina sibi suppeditari putabunt pretiosissimas merces, quæ inde quotannis referuntur. Testium autem eo major est fides, quo à re gesta propius abfuerunt, adeo ut coætaneorum certior sit, quam recentiorum; præsentium, quam absentium; certissima verò sit eorum, qui rem oculis ipsi suis inspexerunt. Quoniam autem coævus, & præsentis, & oculatos testes rebus gestis diu superesse non patitur brevis vita; inde fit ut res à nostra, vel patrum, aut avorum memoria remotas, non nisi ex aliorum relatione noscere vel credere possimus, rerum oblivionem reparante hominum studio, dum longinquitatem temporum memoria excipiente, monumentisque posteritati traditis re præsentant. Quod in rebus igitur ætate nostra actis valet oculatorum testium fides, idem in rebus ab ævo nostro distitis valet coætaneorum librorum auctoritas. Unde intelligitur quo pertineat effatum hoc, & superius, & quantum ex eorum labefactione rerum perturbationem incidere necesse sit. Tertium illud est:

## AXIOMA III.

Omnis Prophetia est verax, quæ prædixit res eventum  
deinde completas.

*Axiomatis  
tertiæ veritas  
confirmatur.*

I. **M**ANIFESTO id sequitur ex Prophetiæ definitione superius allata, & res est in promptu, nec eget disputatione. Propheta quidem ille vera prædicens, mendax cate-roquin esse potest, & pios homines à veri Dei cultu abducere, vel falsis ipse religionibus implicari, qualis exhibetur Balaamus in libro Numerorum, & qualis ille est Prophetæ, quem interfici jubet Moses in decimo tertio capite Deuteronomii. Nihilominus tamen Prophetia ipsa verax est. Postremum Axioma hoc esto:

## AXIOMA IV.

Omnis prophetica facultas à Deo est.

- I. *Axiomatis quarti veritas confirmatur.* II. *Conferuntur Postulata & Axiomata nostra cum Postulatis & Axiomatibus Geometrarum.*  
III. *Laus Geometriæ.*

*Axiomatis  
quarti veri-  
tas confirma-  
tur.*  
Ili. 41. 23. &  
44. 7.  
Ili. 43. 13. &  
67.

I. **A**NNUNTIATE que ventura sunt in futurum, & scimus quod Dii estis vos: inquit Ilias. Idem alibi sic loquentem inducit Deum: *Quis similis mei? vocet & annuntiet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum; ventura & que futura sunt annuntient eis.* Rursus idem: *Priora ex tunc annuntiavi, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea; repente operatus sum, & venerunt.... Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceret: Idola mea fecerunt hæc, & sculpilia mea, & constatilia mandaverunt ista. Quæ audisti, vide omnia, vos autem num annuntiastis? Audita feci tibi nova ex tunc, & conservata sunt qua nescis; nunc creata sunt, & non ex tunc; & ante diem, & non audisti ea; ne forte dicas, Ecce ego cognovi ea. Neque audisti, neque*



cognovisti. Atque hac quidem propria & certa nota Prophetam θεόπρεμνον ἢ θεόληπτον à Pseudopropheta Moles discrevit, si quæ ab hoc prædicta essent, eventus non comprobasset. *Quod in nomine Domini*, inquit, *Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit.* Unde sequitur, quæcumque prædicta sunt, & eventu deinde completa, hæc Dominum esse locutum. Quinetiam si Pseudopropheta contingat aliquando prænuntiare verum, hoc ipsum Deo auctore prænuntiatur. *Si Pseudopropheta*, inquit alibi Moles, *vera prædixerit, & te voluerit deinde à Deo avertere, cave facias, te enim tentat Dominus.* Hinc illud Tertulliani: *Idoneum testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Homini vero penitus occulta est futurarum rerum cognitio. Quid mirum vero, cum & præteritorum notitia multis tenebris oblecta sit, nec ea nisi per nubila mens humana cernere valeat? *Multa hominis afflictio*, inquit Ecclesiastes, *quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* Monitum quoque est Salomonis in Proverbis: *Ne gloriaris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.* Nulla mihi cum Judæis super hoc Axiomate concertatio est: imo, vix ulla quidem cum Ethnicis: uni quippe Deo futurorum cognitionem omnes fere adjudicant; eorum dico, non quæ ex præsentibus vel præteritis ita apta sunt, ut à peritis, & prudentibus prævideri possint, sed quæ in fortuna posita sunt. Unde vates futurorum præcios, divinos appellaverunt. Homines, juxta Orphica carmina,

μήτις ἢ ἐσθλὸν  
εἰδότες, ἢτε κακὸν ἀεσοεργουμένοιο νοήσαι  
φειδύμενοις

Neque boni cujusquam  
Scientes sunt, neque malum venturum noscere  
Periti.

Scitum illud Hesiodi:

μάντις δ' ἰδὼς ἔστιν ἄνθρωπων ἀσθεσίων,  
ὅστις αὖ ἐσθλὴν Κλυὸς ποδὶ ἀγίοργιο.  
Vates autem nullus est inter homines terra incolæ,  
Qui noverit mentem Jovis Ægiœchi.

Insigne & hoc Pacuvii, quod affert Gellius:

Nam si qui, quæ eventura sunt, provideant,  
Æquiparent Jovi.

Et præclarus ille inter Romanos vates Marcius, cum fidem vaticiniis suis facere vellet, *Nam mihi*, inquit, *ita Jupiter fatus est.* Adde hoc Horatii:

Prudens futuri temporis exitum  
Caliginosa nocte premit Deus.

Et istud Manilii:

Pene Deos, & qui possunt ventura videre.

Et id præterea Juvenalis:

Et genus humanum damnat caligo futuri.

Adde & illud Statii:

Quid crastina volveret atas  
Scire nefas homini.

Atque id etiam:

Nescia mens hominum fati, sortisque future.

Cum hanc quaestionem tractarent veteres Philosophi, in varias sectas dissipati sunt. Alii Deo prorsus detraxerunt futurorum præsentionem: proindeque ab homine, rebusque cæteris omnibus multo id magis abjudicarunt. In eo errore versati sunt Epicurei; eodemque videtur inclinare Cicero, cum ait: *Nihil est tam contrarium rationi & constantie quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, quid casu & fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsentio.* Sed hæc Academicorum more, peritentantium sententias omnes, nulli adherentium, disputata sunt à Cicerone. Eadem injuria Deum rerum opificem, quem bonum esse negabat, afficiebat Marcion: sic enim loquentem hunc inducit Tertullianus: *Si Deus bonus & præcius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem & similitudinem suam, imo & substantiam suam, per aëne scilicet censum, passus est labi de obsequio Legis in mortem, circumventum à Diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollit; & præcius, qui eventurum non ignoraret; & potens, qui depellere valeret, nullo modo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divine majestatis evenire non posset. Quod si evenit, absolutum est à contrario Deum neque bonum credendum, neque præcium, neque potentem.* Sciscunt alii minime de-

Deut. 18. 22.

Deut. 18. 3.

Tertull. Apolog. cap. 20.

Ecclef. 8. 6.

Proverb. 27. 1.

Gell. libr. 17. cap. 7.

Liv. libr. 25.  
Horat. Carm. libr. 3. Od. 29.

Manil. libr. 5.

Juven. Sat. 6.

Stat. Theb. 3.

Cicet. libr. 2.  
De divin.

Tertull. libr. 2.  
contr. Marcion.



mittere se Deum ad rerum singularium curam, sed in universalibus tantum consistere: quæ mens fuit Aristotelis, recentiorumque aliquot Peripateticorum, Alexandri Aphrodisæi, Themistii, & Averrois. Ex quorum opinione consecrarium est, ad Deum futurorum, ut vocant, contingentium cognitionem nequam pertinere, cum ne præsentium quidem contingentium cognitio ad eum pertineat; ita nec ad alium quemvis. At Stoici Deum solum futura hæc prænoscere volunt, nec quemquam præterea

Senec. libr. 4. de Benef. cap. 11. Senec. Suas. 4.

Celf. apud Origen. contr. Celf. libr. 7.

alterum, *Nota est Diis*, inquit Seneca, *operis sui series, omniumque illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est; nobis ex abdito subit; & quæ repentina putamus, illis provisæ veniunt ac familiaria.* Alter Seneca: *Quis est qui futurorum scientiam sibi vindicet? novæ oportet fortis sit, qui jubente Deo canat: non eodem consentus sit utero, quo imprudentes nascimur: quamdam imaginem Dei præferat, qui jussa exhibeat Dei: sic est. Celfus quoque Philosophus, ἐν τῷ πνεύματι τοῦ θεοῦ κινῶν ἐν θεῷ ἀεὶ ἔχων τὴν ἐπιστάμησιν τῶν θεῶν, τὸ δὲ ἐν τῷ πνεύματι τὸ ταῦτα κινῶν, & διὰ τὴν ἀποδείξιν ἀνδρῶν παλαιῶν πολλαῖς κήρυξιν ἡρῶν. Si forte divinus spiritus ex Deo descendens, divina prænuñtiat, nempe spiritus hæc prædicans, is est, quo repleti viri antiqui multa, eaque bona nuntiarunt. Jamblichus, magni inter suos nominis Philosophus, egregium opus scripsit De mysteriis, in quo passim micant lucidissima veritatis scintillæ, & stricturæ quædam Christianismi. Postquam enim fulgere cepit Christi Philosophia, jam inde Ethnicam Philosophiam lucis suæ radiis late perfudit. Id cum in Porphyrii, Procli, aliorumque scriptionibus perspicuas, tum maxime in hoc, quem memoramus, Jamblichi libro. Illic totam fatidicam vim, quod vel solius tamen rationis ductu noscere potuit, ad unum Deum referendam esse sapius inculcat. *Vaticinium ipsam*, inquit, *nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus, vel animalibus rationibus, moribusve efficitur, neque fit allo modo, sed utique sempiternum est, missum ad nos usque divinitus, totaque potestas præsaga refertur ad Deos, & omnis hujus auctoritas consistit in eis, atque inde traditur, divinisque operibus signisve perficitur.* Et deinde: *Causa afflatus fatidici est duntaxat ipsa divinitas, quando scilicet à Diis descendunt in nos lumina, spiritusque traduntur ab eis, adesseque nobis dominatio, potestasque illinc absoluta, comprehendens omnia quæ sunt in nobis, & exterminans penitus propriam nobis animadversionem, & motionem, præferensque sermones, per hominem quidem, sed non cum ipsa cogitatione hominis, imo pronuntians ipsa per os furæntis extra se positi; dum videlicet quæcumque sunt in nobis, serviunt tota numini, ceduntque soli dominanti actioni divinis.* Tum alibi: *Vaticinium opus Dei proprium est agentis hoc in nobis, nobis tunc à propria actione vacantibus.* Atque hæc Platonis auctoritate confirmat: *Plato*, inquit, *in Phædro dicit antiquos vaticinium naminasse maniam, quoniam soli divino favore correpti vere vaticinantur.* Igitur Porphyrium præceptorem suum haud segniter castigat, quod vaticinii causam in quadam animi motione posuerit, quæ cum instabilis sit & inordinata, vaticinium quod constans esse debet & stabile, ex ejusmodi motione pendere non potest. Nec ab hac doctrina deflexit Proclus Diadochus, cum Platonis Alcibiadem primum interpretaretur. Idem dogma sequacibus suis non uno Alcorani loco tradidit Moslemiorum significum Muhammedus. Pythia, auspices, augures, engastrimythi, aruspices, genethliaci, non aliunde quam à Deo ipso futurorum præsentionem ad se olim pervenire putabant; Deum quippe, mundi animum, omnia pervadere, & futura hominibus variis modis portendere. *Quod queris, Deus est*, inquit Manilius, *Astrologum ad capeßenda præcepta sua adhortans. Qui natura significati futura sine Deo posse censebant, (si quorum tamen tanta stoliditas fuit,) quid esset natura ne satis quidem intelligebant: nam vel cæcam & temere vagantem opinabantur, proindeque futuri inciam; vel intra certos fines, & tanquam ex præscripto agentem; atque ita vel à Deo gubernatam, vel quæ Deus ipsa esset; quorum utrumvis dixerint, Axioma nostrum confirmaverint. Præterea neque rerum naturalium, nec earum quæ fortuitæ appellantur, ulla fieri potest, nisi ex concursu plurium causarum. Harum pariter causarum nulla suis caret superioribus causis, nec illæ quoque antecedentibus aliis: itaque ad unumquemque producendum effectum tanta causarum multitudo necessaria est, ut totam rerum universitatem, omnemque earum connexionem ac seriem comprehendat. Quisquis igitur futurum illum effectum prænoverit, ex causis prænoscat necesse est; quæ cum infinitæ sint, prænoverit sit, & omnia sciat necesse est. Atqui solus Deus prænoverit est, neque id in humanam naturam cadit. Præclare Jamblichus: Ergo est impossibile judicare certos eventus, cum omnium causarum concursum comprehendere nequeamus, nisi per inspirationem divinam id assequamur. Egregie quoque Hieronymus: *Consistentur magi, consistentur arioli, & omnis scientia secularis literature, præscientiam futurorum, non esse hominum, sed Dei; ex quo probatur Prophetas Dei spiritu locutos, quia futura cecinerunt.* Sed quid Communem hanc notionem pluribus tueor, cum ex Prophetiæ Definitione, quam attulimus quarto loco, necessario consequatur? nam si Pro-**

Alcoran. Sur. 41. & 44.

Manil. libr. 4.

Hieron. in Dan.



pheta est narratio rerum futurarum, quæ ex naturalibus causis prævideri non possunt, petenda est causa supra naturam, Deus videlicet.

II. Jam vero confer paucissima hæc & simplicissima Principia, & consentiente hominum omnium usu & auctoritate recepta, cum multiplici geometricorum Principiorum serie, quanto pluribus hæc dubitationibus obnoxia deprehendes? Vel solæ Geometrarum altercationes indicant, ecquæ sit illorum ἀναμάρμοια. Infinitis controversiis oppugnata fuisse non negat horum assertor Proclus. Pleraque desiderari, præter ea quæ ab Euclide assumpta sunt, atque hæc in exemplum tantum fuisse proposita, Geometra quidam tradiderunt. De Postulatorum & Axiomatum discrimine magna inter ipsos concertatio est. Discrepare ea inter se censuit Geminus, ut Problemata à Theorematis. Postulata Geometriæ propria esse volunt quidam, Axiomata vero communia esse disciplinarum, quæ circa quantum & circa quorum versantur. Aristoteles Postulata vult esse, quæ cum ab audiente statim non concedantur, & demonstrari possint, ut Principia tamen admittantur, Axiomata vero, quæ demonstrari non possint. Unde sequitur Axiomata non esse quæ Euclides proposuit, quippe quæ ab Apollonio Pergæo, eo qui ob insignem artis peritiam magnus Geometra dictus est, assumptis aliis Principiis universa demonstrata sunt. Proindeque Principia nulla sunt, cum ex Philosophorum, Geometrarumque consensu ἀναπόδεικτα esse debeant: quod sapius iterat Proclus, & diserte testatur Plato his verbis: ἀρχὴ δὲ ἀγαντων. ἢ ἀρχὴς γὰρ ἀνάγκη παρὰ τὸ γρηγορότερον γινώσκειν, ἀρκυὸν δὲ μὴδ' ἢ ἐνός, εἰ γὰρ ἕκαστος ἀρχὴν γινώσκον, ὅσον ἂν ἀρχὴν ἐγνώσκον. Principium autem expers est originis: ex principio siquidem, quidquid oritur, oriri necesse est; ipsum autem ex nihilo. Nam si ex re aliqua oriretur principium, principium utique non esset. Quæ sumit Plato pene ὡς ἐξ ἀρχῆς ex Timæo, Cicero vero ex Platone, cum alibi, tum maxime in Somnio Scipionis. Adversus Geometrarum Postulata uti possumus hoc argumento, quo universas ipsorum Hypotheses Sextus Empiricus scite & argute confutat: Quæ postulas, vel fieri possunt, vel non possunt; si fieri possunt, cur jure tuo non uteris, & quæ vi obtinere poteris, precibus impetrare mavis? si fieri non possunt, cur iniqua postulas, & tibi à me concedi vis, quod nec in mea, nec in tua potestate est? Culpant Euclidem Geminus & Proclus, quod inter Postulata rescripserit, quæ poterant demonstrari; nempe Principia ab illo credita sunt, secus ab istis. Culpant ii quoque Apollonium, quod Axiomata demonstrare sit aggressus, quæ erant ἀναπόδεικτα. Ex his colligitur incertam esse Postulatorum & Pronuntiatorum notitiam & numerum. Propositionem hanc, *Omnes recti anguli inter se sunt æquales*, inter Axiomata collocant Aristoteles, Geminus, & Theon; at Proclus inter Postulata, quam & demonstravit. Tum & Propositio hæc, *Si recta linea in duas rectas incidens internos, & in eadem parte sitos angulos duobus rectis minores fecerit, producta una hæc recta in infinitum, ad eam partem concurrent, in qua siti sunt anguli minores duobus rectis*; hæc, inquam, Propositio è numero Postulatorum expungitur à Theone, & inter Axiomata rejicitur; è numero vero Principiorum eximitur à Geminio & Proclo, quod demonstrari queat, multisque ad id egeat Definitionibus & Theorematis, & quod ejus ἀντίστροφον Euclides demonstraverit in decima septima Propositione libri primi; & quod multas habeat difficultates, quas Ptolemaeus extricare conatus est. Jam vero ipsa Axiomata quod attinet, ea à nemine vocari in dubium confidenter asserebat Proclus, licet Aristoteles, vel ipso Proclo teste, de illis nonnullas moveri quaestiones falsus sit. Neque vero hoc animi tantum gratia factum putem, ut Aristoteles censuit: id apparet ex Apollonii epichorematis, qui cum ea demonstranda suscepit, demonstratione indigere utique credidit, nec pro Principiis habuit; apparet & ex Heronis sententia, qui tria tantum Axiomata proposuit, cum duodecim ponat Theon, viginti Clavius, novem Campanus, iisque innumerabilia adjungi posse putet. Decem vulgo recepta sunt. His nonnulla adjicit Pappus, quorum tamen quædam non esse ἀναπόδεικτα ostendit Proclus, qui & decem illis alia adjunxit. Hoc Axioma, *Quæ sibi mutuo congruunt, æqualia sunt*, pertinet ad quantitatum sibi mutuo applicandarum & superponendarum rationem, quæ licet à Proclo & Archimede usurpata, tota mechanica est, & Geometriæ ignominia merito dici potest. Quamobrem quartæ Propositionis libri primi Euclidis vulgata demonstratio, quæ hoc constat Axiomate, vitiosa dicta est ab eruditis Geometris; & pro Definitione, non Theoremate habendam hanc Propositionem duxit Peletarius; quamvis eandem, & ipse, & Candalla, aliter ac vulgo fit, demonstrare conati sint. Eo etiam ferunt progressos Philosophos quosdam, ut totum negarent esse majus sua parte. Axioma vero istud, *Due rectæ spatium non comprehendunt*, frustra propositum esse, juxta Gemini sententiam ratus est Proclus, ut pote quod demonstrari possit, quemadmodum & à Proclo factum est. Inter Postulata vero à Campano rejicitur. Videant nunc Geometra an sua Principia clariora sint animo,

Conferuntur  
Postulata &  
Axiomata  
nostra cum  
Postulatis &  
Axiomatibus  
Geometrarum.  
Procl. libr. 3:  
in Euclid.

Plat. in Phædr.

Sext. Empir.  
adv. Mathem.  
libr. 3.